





*[Faint, illegible handwriting on aged paper]*







DECAS

PROBLEMATVM  
LOGICORVM

De  
SUBJECTO

&amp;

ADIUNCTO

Examini publico subjecta in Ser-  
vestano Gymnasio.

ad, di: xbris.

PRÆSIDE

M. MARCO FRIDERICO  
VVENDELINO, Gymnasii  
Rectore.

RESPONDENTE

VVILBRANDO MVNSTERO  
VVestphalo.

SERVESTÆ

Typis Zachariæ Dörfferi,  
ANNO M. DC. XV.







Illustri & generoso Heroi ac  
Domino,

DN. ABRAHAMO, Burggravio & Ba-  
roni à Dhona, Serenissimo potentissimoq; Electro-  
ri Brandenburgico à consiliis intimis, Domino Me-  
cœnati ac promotori suo gratiosissimo.

NEC NON

Nobili & amplissimo viro,

DN. ANDRÆ Knichen / J. U. Consultif-  
simo, Illustrissimorum Principum ac Dominorum,  
D. FRIDERICI ULRICI, Ducis Brunovicensis, &c.  
D. JOANNIS GEORGI, D. RODOLPHI, D. LUDOVICI,  
Principum Anhaltinorum, &c. Consiliario. Et  
in aula Servestaria Cancellario gravissimo. Do-  
mino ac fautori suo humili obsequio observando.

*Debite gratitudinis,  
humilis observantia, ergo,*

Hanc Problematum Logicorum decadem,  
qua par est animi devotione,

L. M. Q.  
Offert & Consecrat  
Respondens.





DECAS PROBLEMATVM  
LOGICORVM DE SVBJECTO  
ET ADJUNCTO.

PROBLEMA I.

Sintne Subjectum & Adjunctum ar-  
gumenta modo quodam con-  
sentanea? Affirm.



*Argumentorum consentaneorum,*  
in absolute & modo quodam consentanea, dis-  
tinctionem subinde in Logicis vellicat logicus qui-  
dam non ignobilis, mentem Rami, uti videtur, mi-  
nimè adsecutus. Videndum igitur, quid Consenta-  
nea vocet Ramus, & an diversa consentaneorum sit ratio. Consen-  
taneum vocat Ramus, quod primo & citra comparisonem, cum  
re, quam arguit, consentit. Excludit ergo è consentaneorum cen-  
su. 1. Orta, hæc enim, etiamsi cum rebus, quas arguunt, consen-  
tiunt, primario tamen non consentiunt, sed secundario, per & propter  
prima, à quibus oriuntur. Deinde excludit etiam Paria, & Similia:  
hæc enim quanquam & ipsa suis cum thematicis consensuunt, cum  
eomparatione tamen consentiunt, adeoq; cõparatio hæc rectius quàm  
consensio vocatur. Cum igitur ad consentanea ita definita, præter  
Causam & Effectum, Subjectum & Adjunctum, nulla alia referri  
argumentorum classis possit, rectè Ramus duo tantum consentaneor-  
um paria constituit, causam & effectum, subjectum & adjunctum.  
Porro jam queritur: sinte eadem consentiendi ratio inter causam &  
effectum, subjectum & adjunctum? Affirmat iste, negat Ramus, &  
nos cum Ramo: ideoq; consentanea in absolute & modo quodam con-  
sentanea distinguimus. Illa cum Ramo definimus, quæ perfecte &  
essentia-



essentialiter consentiunt, hoc est, quorum alterum alteri debet essentiam absolutam & respectivam, cuiusmodi sunt Causa & Effectus: haec, quae leviter & extrinsecus consentiunt: extrinsecus, inquam, quia ad essentiam, quae talia, mutuo nihil conferunt, sed à causis eam accipiunt. Interim tamen dependentiam quadam naturae ipsorum competenti, quae subiectionis & adjunctionis vocibus exprimitur, sese invicem complectuntur: cuiusmodi, Subiectum & Adjunctum. Judicet jam Logicus, rectene Subiectum & Adjunctum argumenta modo quodam consentanea dicantur: vel, sitne eadem consensionis ratio inter Causam & Effectum, Subiectum & Adjunctum. In negantem partem firmiter ita concludimus. Quae ita consentiunt, ut alterum alteri essentiam tanquam causae non debeat, ea absolute & essentialiter non consentiunt. Atqui subiectum & adjunctum ita consentiunt, ut alterum alteri essentiam tanquam causae non debeat: Non igitur consentiunt absolute, hoc est, essentialiter. Consentiunt igitur modo quodam, & extrinsecus. Propositio plana est: Omnis n. logicus consensus à quodam oritur dependentia: ubi igitur essentialis dependentia non est, ibi nec consensus essentialis. Assumptione approbo. Quae essentiam dant & accipiunt, ut causa & effectum se habent. Subiectum & adjunctum, quae talia, ut causa & effectum se non habent. Non igitur essentiam dant & accipiunt. Concludimus ergo, Subiectum & Adjunctum recte à Ramo dici modo quodam consentanea.

## PROBLEMA II.

An omne Subiectum sit extra essentiam sui Adjuncti? *Affirm.*

Negantem questionis hujus partem amplectitur idem Logicus in systemate logico, & quatuor rationibus eam confirmat. Nobis affirmans verior judicatur. Rationes antequam reddamus, phrasis ista, esse extra essentiam adjuncti, explicanda videtur. Esse extra essentiam, & non esse de essentia rei, vulgo & proprie ea dicuntur, quae principia essentiae interna non sunt, nimirum, nec forma, nec



nec materia. Ita & finis & efficiens extra essentiam sunt, quia essentia principia interna non sunt. Secundum hanc explicationem sensus problematis hic est: An nullum subjectum sit vel materia vel forma sui adjuncti? Deinde & ea dicuntur esse extra essentiam, quae essentiam causando non attingunt. Sic finis & efficiens extra essentiam non sunt, cum ad constituendam extrinsecus essentiam non minus requirantur, quam materia & forma intrinsecus. Sensus igitur problematis & hic esse possit: An nullum subjectum quocumque modo causando Adjunctum attingat? Nos vel intrinsecus vel extrinsecus ullum subjectum essentiam sui adjuncti causando negamus attingere. Assertioni huic demonstrande vel unica hac ratio suffecerit. Nullum subjectum, quod subjectum, est causa: sunt enim subjectum & causa species disparatae. Omne igitur subjectum, quod subjectum, extra adjuncti sui essentiam est. Firma est consequentiae ratio: quandoquidem de essentia nihil est (uti quidem phrasis hoc loco accipitur) quod essentiam causando non attingit. Si subjecti & adjuncti definitiones inspiciantur, eandem hanc firmabunt assertionem. Quicquid enim rei subicitur, eidem essentiale, quod subicitur, non est. Atqui subjectum adjuncto subicitur. Essentiale igitur ei non est. Item: Essentiale rei tantum non adjungitur, Adjunctum tantum adjungitur subjecto. Ergo essentiale ei non est.

### PROBLEMA III.

An locus & tempus Logicæ sint considerationis, ita, ut subjecti & adjuncti Logici sint species, de quibus iis in Logicis sit præcipiendum? Neg.

Omnes ferè Ramèi, unâ mente & voce, affirmanti problematis parti subscribunt. Attamen negantem veritati consentaneam judicamus ob manifestas rationes. 1. Exemplum subjecti Logici non est ipsum subjectum Logicum. At locus exemplum subjecti logici est. Ergo. Propositio patet, quia regula exemplum non est ipsa  
A 3 regula.



regula. Nec imago rei expressa ipsa est res. Altius asurgo. Si exempla subjectorum logicorum essent ipsa subjecta logica, tum & reliquorum argumentorum exempla, ipsa essent argumenta logica: imò omnia universitatis entia argumenta essent logica. Hoc si dederis, tali urgebere incommodo. Omnis argumenti logici essentia, affectiones & species, in Logicis accurate doceri debent. At omnia entia argumenta sunt logica. Omnium igitur entium essentia, affectiones & species, accurate in logicis doceri debent. Quà facie vero tandem Logica, confusionum expultrix, se nobis exhibebit? nonne monstruosà planè & horrendà? ut quæ suos egressa terminos, artium & scientiarum omnium sublatis limitibus, in confusum chaos redegerit, quæ magnis & felicib. sublimium ingeniorum laboribus fuere olim distincta. Quid fiet tandem de pulcherrimo illo artium & scientiarum orbe? Assumptioni fidem facit cum ipsum X. de subjecto caput, tum ratio. Illud quidem, quod inter subjecti exempla, quorum plura adfert, ipsum quoq; locum ponit, nihilq; ei præ anima, homine, & sensuum sensilibus, quæ omnia logici subjecti sunt exempla, prerogativa tribuit. At hæc subjecti logici species esse, & res logicas, in Logicis, uti cum Loco factitant, explicandas, nemo ne ex audacissimis quidem dixerit. Quid ergo de Loco comminiscuntur? Ratio vero sana assensum vel invito extorquet. Loco enim, quæ locus, diversæ notiones logicae simplices imponi possunt, ita ut vel finitum, vel effectum, vel subjectum, vel adjunctum, vel comparatum, vel dissentaneum, &c. dici queat: subjecta logico non item; quæ n. subjectum, nec finis, nec effectum, nec adjunctum, &c. appellari potest: sunt n. species hæc disparatæ à subjecto. Locus igitur subjectum logicum non est, sed, certo considerandi modo, exemplum notionis huius logicae capax. Præterea, subjectum logicum, fatentibus omnibus, non est notio prima. Locus est notio prima; accensetur enim affectionibus realibus entium creatorum finitorum, propriè quidem corporum, suo tamen quoq; modo spirituum. Deniq; absq; subjecto logico, tanquam notione secundâ, proindeq; hominum invento, res naturales subsistunt. Absq; loco vero non subsistunt. Locus igitur subjectum logicum non est. Mira igitur quorundam audacia, qui loci in physicis contemplationem heterogeneam esse clamitant, cum tamen corpori naturali adeo sit conjunctus, ut nec esse nec conservari absq; eo possit. Si quæ  
vero ge-



verò generalior de loco doctrina instituenda, fatemur equidem aliēnam eam a physicis fore, sed ad Logicam propterea ablegandam minime damus: honores n. hosce suo sibi iure Metaphysica vendicabit. Quae de loco haecenus dicta, de tempore quoq; accipienda; Eadem n. pro utroq; militant rationes. Conclufum ergo fit, locum & tempus ad Logicam referri, ut res aliæ naturales & supernaturales referuntur, tanquam exempla scil. quibus subiecti & adjuncti notionēs imponi pōssint, non tanquam species nativas Subiecti & Adjuncti logici.

#### PROBLEMA IV.

An Adjuncta perfectè propria à Subjectis suis abesse possint, salvis iis manētibus? *Neg.*

*Etsi rationib. & exemplis affirmantem problematis partem nonnulli propugnant: Neganti tamen, gravissimis de causis, subscribimus.*

1. Adjuncti perfectè proprii tres sunt conditiones, omnium rectè sentientium iudicio: inesse 1. τῶν αὐτῶν. 2. μόνω. 3. αἰεὶ. Quod igitur omni, soli, & semper inest; id abesse nunquam potest. At proprium perfectè dictum subiecto omni, soli, & semper inest, nunquam igitur abesse potest: aut si abesse aliquando poterit, ab imperfectè proprio conditionibus hisce non distinguetur.

2. Subiectum, citra contradictionis implicationem, sub negatione proprii perfecti nequit concipi. Ergo proprium perfectum abesse à subiecto incolumi nequit. Ratio consequentia plana est. Nam si abesse posset citra subiecti destructionem, quid prohiberet quò minus sub negatione eius rectè subiectum conciperetur? Antecedens ratione probatur & exemplis. Ratio. Quod ignota formā substantiali differentia specifica loco in definitione ponitur, & definitum ab omnibus aliis rebus perpetuò distinguit, id ita conjunctum est rei, ut sub eius negatione subiectum seu definitum citra contradictionem concipi nequeat. Atqui proprium perfectum essentialē, ut plurimum, differentia



rentia specifica loco in definitione subjecti sui ponitur, idq. ab omnibus aliis rebus distinguit. Ergo, &c. Propositionis ratio est, quia sublata differentiâ, & principio distinctivo, de statu suo res deturbatur. Assumptio definitionum inductione patet. Exempla sunt innumera. Corpus, sine dimensionibus, est non corpus. Homo, absq. ratiocinandi potentiâ, est non homo. Animal, absq. sentiendi potentiâ, est non animal. Et sic de aliis.

III. Quod est subjecti naturâ perpetuò & necessario resultat per emanationem continuam, id abesse a subjecto, citra eius destructionem, non potest. At proprium perfectum est subjecti naturâ per emanationem continuam perpetuò & necessario resultat. Nec n. unquâ id esse videmus in potentiâ ad suum proprium, sed actu id semper habere conjunctum. Ergo.

IV. Que contraria sunt & recipiuntur, eorum uno negato alterum tollitur. At qui subjectum & proprium sunt contraria. Ergo. Propositio inductione patet exemplorum: ut, Omne animal sentiendi potentiâ est preditum. Omne sentiendi potentiâ preditum est animal. Quicquid igitur animal non est, id sentiendi potentiâ preditum non est: Et quicquid sentiendi potentiâ preditum non est, id animal non est. Idem de Similibus iudicium esto.

V. Affirmato uno disparatorum, negatur alterum. At hominem esse, & ridendi potentiâ destitutum esse, sunt disparata. Uno igitur affirmato, negatur alterum. Res ergo que ridendi potentiâ destituta est, homo non est. Et homo qui est, ridendi potentiâ destitutus non est. Unde propria à subjecto separari non posse palam est. Veritatem agnovit Theodoret. dial. 3. cum inquit: Proprietatum deletio est naturæ negatio. Unde & vulgaris Theologorum ac Philosophorum canon: Qui tollit proprietates, tollit naturas.

## PROBLEMA V.

An idem numero Adjunctum possit simul esse in pluribus numero Subjectis? Neg.

Exem-



agente naturali, nec motus naturalis. Itaq; ad materiam minime est adstricta, sed vel nihilo ad producendum aliquid contenta.

LII.

*An verò creatio alicujus ex nihilo naturali rationis nostra lumine cognosci possit? quæritur; Partem tuemur affirmantem. Rationes sunt.*

LIII.

I. Si DEUS nonnisi ex subjecto aliquid potest producere: Virtus utiq; ejus subjectæ materiæ erit adstricta. At falsum hoc. Nec enim vel DEUS eam definit & adstrinxit: nec aliquid DEO prius, quod non datur, nec posterius. Quid ergo? Nihil. Adstricta igitur materiæ non est.

LIV.

II. Agnoscit ratio DEUM esse Ens primum, perfectum, à nullo pendens, nullius indigens. Per se igitur sufficit ad agendum, nec actio ejus ab alio pendet.

LV.

III. DEUS est omnium extra se causa prima: Id igitur quod primum à DEO extra DEUM productum est, ex nihilo productum est.

LVI.

IV. Esse DEI est independens. Actio igitur est quoq; independens. Modus enim agendi sequitur modum essendi.

LVII.

Ad materiam revertamur, quam hic, ut primam potissimum, consideramus, de qua mille à multis monstra ex cogitantur, à quibus qui abhorruerunt, ad Scripturas se converterunt, & *Massam rudem ac indigestam*, de qua *Moses in Genesi*, tanquam materiam primam nobis commendarunt.

LVIII.

Statuimus cum Philosophis hisce, enormiter errare eos, qui, ante *chaos Mosaicum*, aliam à DEO creatam materiam existimant.

LIX.

Et tamen *Chaos* illud materiam primam propriè non posse

B

dici



dici arbitramur. Ratio nostra est. *Chaos* illud fuit complicatio corporum essentialiter perfectorum, hoc est, materiâ & formâ, tanquam principiis essentialibus & substantialibus constantium, ut è textu manifestissimum est: At materiam primam quis dederit esse corpus completum materiâ suâ & formâ constants?

LX.

Dicimus igitur materiam primam aliud nihil esse nisi naturam quandam universalem, ab omnium materialium singularium conditionibus individuantibus abstractam, & ex attributis communibus estimatam; qua seorsim nunquam extiterit, nec possit existere. Huiusmodi materiam primam dari patet.

LXI.

I. Datur corpus naturale genericum, hoc est, commune omnibus corporibus natura, quæ subiectum est huius scientiæ. Dabitur igitur materia quoq; corpori isti conveniens, quæ alia nulla esse potest, nisi ea quam modo descripsimus.

LXII.

II. Omnes materiæ singulares, quæ naturæ ambitu continentur, communem quandam & genericam habent naturam, quæ in singulis individuis deprehenditur. Datur igitur materia prima & suprema.

LXIII.

III. Non datur processus in infinitum: In resolutione igitur tandem in aliquâ primâ materiâ subsistendum, à quâ secundæ omnes pendeant.

LXIV.

Est autem materiæ huius notio duplex, prima & secunda.

LXV.

Prima est quâ materia tanquam Ens extra causas constitutum in se consideratur absq; respectu ad aliud.

LXVI.

Dari hanc materiæ notionem efficaci ratione probatur. Materia est substantia: Habet igitur considerationem absolutam. Antecedens deinceps probabitur, & admittitur ab Aristotele 1. & 2. Phys. & 7. Metaphys. Ratio consequentiæ est, quia quælibet substan-



Substantia essentiam habet absolutam. Nec enim substantia est ipsa relatio, sed quoddam absolutum cui accidit relatio.

LXVII.

Materiae in hac primâ notione consideratae competit.

I. *Carere omni formâ propriè sic dictâ.* Est enim materia Ens composito & formæ contradistinctum: carentiam hanc rectius dixeris negationem quàm privationem.

LXVIII.

II. *Habere actum Entitativum*, ut à *Scoto* appellatur, qui ex mente *Petri Fabri*, Vindicis doctrinae *Scoti*, aliud nihil est nisi existentia rei extra causas suas. Unde materiae actum Entitativum tribuere, est dicere eam extra causas suas existere citra formam.

LXIX.

Veritatem sententiae huius approbant rationes firmissimae. 1. Materia per se est Ens. Actum igitur habet per quem est Ens. Antecedens probatur, quia per se est principium essentialis Entis positivi, quod non Enti non potest competere. Ratio consequentiae est: quia quicquid est extra potentiam objectivam id actum habet per quem est.

LXX.

2. Materia naturâ prior est formâ. Ergo non est Ens per formam. Actum igitur habet ante formam, qui cum formalis non sit, entitativus erit. Antecedens patet, quia subjectum est formae.

LXXI.

3. Si materia esset actu Ens per formam, sequeretur materiam, quâ est Ens, compositam esse: quod falsum.

LXXII.

4. Materia per se habet passiones seu affectiones: Per se igitur est Ens extra causas constitutum: non Entis enim nulla sunt accidentia realia. Antecedens è communi Philosophorum suffragio patet: Omnes enim ajunt potentiam esse materiae affectionem.

B 2

s. Si



LXXIII.

5. Si materia est non Ens, compositum è diversis Entibus non constabit. At falsum hoc: Ergo & illud.

LXXIV.

6. Omne ens creatum compositum est ex actu & potentia, ex Ente & essentia. Quidni igitur de materia idem affirmemus?

LXXV.

Actus *Entitativus* materiae non tollit unitatem compositi. Quid? quod ne *formalis* quidem simpliciter tollat, ut è corporibus mixtis patet.

LXXVI.

Aristoteles materiam appellans *non Ens, nec quid, nec quale, nec quantum*, non absolutè sed respectivè loquitur: ideoq; assertiones hæ sententiam nostram non evertunt.

LXXVII.

III. *Esse substantiam*. 1. Ipsemet enim Aristoteles distribuit substantiam in materiam, formam & compositum.

LXXVIII.

2. Accedit quod corpus naturale sit substantia per materiam & formam.

LXXIX.

*Substantia* tamen ea est *incompleta*, ad complendam corporis naturalis substantiam ordinata.

LXXX.

IV. *Habere quantitatem interminatam*, hoc est, ad certam, si in se spectetur, figuram non determinatam, ad omnes recipiendas æquè indifferentem: Sententiæ hujus rationes sunt.

LXXXI.

I. Forma non dat materiae ut sit materia, hoc est, ut sit subjectum, sed præsupponit illam esse subjectum. Ergo præsupponit quoq; id sine quo non potest esse subjectum, nimirum quantitatem, per quam materia distinctas habet partes, distinctis formis recipiendis aptas.

LXXXII.

II. Forma statuitur divisibilis propter subjectam materiam. Coævam igitur sibi habet quantitatem & propriam; cum divisibilitas pendeat à quantitate.

III. Si



LXXXIII.

III. Si quantitas à formâ producitur: vel in materia, vel extra materiam ab eâ producitur. Atqui nec in materiâ, quia forma reciperetur in materiâ non quantâ, quod falsum: nec extra materiam, quia forma naturalis extra materiam nunquam est.

LXXXIV.

IV. Si forma quantitatem producit, vel ex nihilo vel ex materiâ non quantâ producit. Non ex nihilo: sic enim crearet: Nec ex materiâ non quantâ, quia fieri nequit, ut ex eo, quod est prorsus indivisibile & partium expers, producat aliquid longû, latum, profundum, partibus distinctum.

LXXXV.

V. E communi omnium Philosophorum consensu patet, Quantitatem in sequi materiam, ut alia accidentia formam.

LXXXVI.

Non igitur quovis accidente prior est substantia composita.

LXXXVII.

Quantitatis tam terminatæ quàm interminatæ materia subjectum est, sed inhæſionis tantum, non verò denominationis.

LXXXVIII.

Augmentationis & quantitatis terminatæ idem subjectum est, sed interminatæ non idem.

LXXXIX.

Hucusque *primâ materia notio*: *Secunda* notio est, qua tanquam principium essenziale corporis naturalis consideratur: quæ consideratio tota est respectiva.

XC.

Materiæ in secundæ natione consideratæ duo potissimum tribuuntur:

I. *Privatio*, quæ est absentia formæ in materiâ cum potentia ad recipiendam eam.

XCI.

Duo igitur necessario includit privatio: *absentiam* formæ & *potentiam* ad recipiendam eam.

XCII.

B 3

Zabarel-



*Zabarella* adjungit tertium: perpetuam formam alicujus in materia presentiam: quod requisitum perpetuum nobis non videtur: aut enim processus formarum in materia dabitur in infinitum, aut cum primam materia formam reciperet, sine privatione recepit, & proinde nec potentiam recipiendi eam habuit, quorum utrumq; a vero alienum est.

XCIII.

Interim tamen non negamus, ordine rerum jam constitutio, primam in materiam formam introductam, privationem perpetuo aliquam sibi formam habere conjunctam.

XCIV.

Nec Philosophicam rejicimus phrasin, quam forma in materia existens privatio formae subsequentis appellatur; nimirum per comitantiam, ut *Zabarella* loquitur.

XCV.

Patet hinc quid privatio differat a negatione; illa enim potentiam sibi junctam habet naturalem recipiendi formam, cujus dicitur privatio: haec vero potentiam necessario conjunctam non habet. Est enim in Deo negatio finitatis; potentia tamen passiva ad recipiendam finitatem non est.

XCVI.

Privatio est remota vel propinqua.

XCVII.

Remota est inter quam & formam plures aliae intercedunt mutationes, ut in cibo privatio formae carnis. *Zabellam* igitur, qui privationem hanc rejicit. lib. 1. de materia cap. 7. non audimus.

XCVIII.

Propinqua est inter quam & formam una tantum intercedit mutatio, ut in sanguine privatio formae carnis.

XCIX.

Errare judicamus, qui privationem a materia realiter differre negant.

C,

Quærentibus: an privatio sit principium corporis naturalis?  
Respondemus, principium proprie dictum non esse. Cum nec  
materia



materia sit, nec Forma, nec efficiens, nec finis: Si tamen principium sumatur pro termino à quo, seu conditione sine qua non, de appellatione morosè non contendemus.

C I.

II. *Potentia*, quæ tamen à privatione realiter non differt: Nam utraq; denotat absentiam actus & aptitudinem ad illum: sed diversimodè: *Potentia* enim primò notat aptitudinem ad actum, secundariò absentiam actus: contra privatio.

C II.

*Potentia* & ipsa remota vel propinqua est, eodem sensu quò privatio.

C III.

Haftenus *materia*: *Forma* est principium substantiale corporis naturalis, per quod corpus naturale est, & cuius virtute activum est.

C IV.

Dari hujusmodi principium patet. I. Datur corpus naturale genericum, quod in *Physicis* consideratur. Ergo & forma datur: Est enim corpus compositum ex materia & forma.

C V.

II. Omnes formæ singulares conveniunt in naturâ communi, quæ singulis inest formis. Datur igitur forma generica & prima.

C VI.

III. Corpus naturale activum est: Formam igitur habet per quam activum est: materia enim principium est passivum.

C VII.

Esse verò formam hanc principium substantiale probatù arduum non est. Corpus enim naturale substantia completa composita est. E substantiis igitur incompletis simplicibus constat. Quæ verò illæ nisi materia & forma?

C VIII.

Errant autem toto cælo, qui primam formam ajunt esse materiae actum, per quem materia existit, qui improprie forma dici



dici possit: quâ in sententia est. *Hippius* 12. probl. Physico. Primâ enim forma principium corporis naturalis est non minus, quàm materia prima. Non igitur refertur ad materiam tanquam principium ejus constitutivum: nec est actus materiæ, seu forma improprie dicta, sed actus compositi forma proprie sic dicta.

CIX.

De ortu formæ ejusq; variis relationibus deinceps potissimum disquirendum:

De ortu Formæ scholam Peripateticam si roges: *materia potentiam* nominat: hinc axiomate hoc, *Forma educitur è potentia materia*, nihil ferè tritius.

CX.

Si amplius roges, *quid sit educi è potentia materia?* respondet *Pererius* lib. 5. cap. 22. per explicationem quinq; proprietatum, quas habent formæ omnes eductæ è potentia materiæ, quæ sunt: 1. *Produci ab agentibus naturalibus per actiones & dispositiones materiales.* 2. *Pendere à materia in fieri.* 3. *Pendere à materia in esse.* 4. *Pendere à materia in operationibus.* 5. *Pendere à materia quiditative*, ita nimirum ut sine eâ nec definiri nec intelligi possint. *Patres Conimbricenses*, 1. Phys. cap. 9. q. 12. art. 5. Contrahunt hæc conditiones, & duas constituunt. 1. *Ut ad formam naturalis potentia insit in subjecto*, alioquineductio naturalis non esset. 2. *Ut sine subjecti vel materia adminiculo nec effici, nec permanere, nec operari possit.* *Petrus Hurtadus de Mendoza Valmasedanus*, disput. Phys. 4. sect. 2. §. 11. unicam tantum conditionem & proprietatem formæ è potentia materiæ eductæ ponit, ob quam verè & proprie generari, & educi è potentia materiæ dicatur, nimirum, *in suo esse intrinsecè dependere à materia tanquam à subjecto.*

CXI.

Sententia hæc à nonnullis de omnibus ingenere formis pronunciat, inter quos *Hurtadus de Mendoza*, loco modò allegato: Ab aliis verò cum certâ limitatione, de iis duntaxat formis, quæ nunc in materiam inferuntur: Eas enim, quarum composita in primâ rerum molitione à D B O procreata sunt, videlicet *formas corporum caelestium & Elementorum*, non fuisse eductas è potesta-



potestate materiae: Ita *Conimbricenses* sentiunt articulo paulo ante allegato: quibus cum, quoad formas corporum caelestium, facit *Suarez*, 1. *Metaphys.* disput. 15. Sect. 2. num. 17.

CXII.

Responsio haec de ortu formarum, quod tantorum Philosophorum pace dictum velim, non videtur omnem interroganti scrupulum eximere. Cum enim forma post non esse incipiat esse, vel per *creationem* vel *generationem* incipit esse:

CXIII.

Per *creationem* negant eam esse, cum repugnent educi e potentia materiae & creari. Etsi nobis minimè videntur pugnare: Nam si educi e materiae potentia nihil est, nisi ad productionem vel existentiam formae in materia requiri dispositiones materiales, quibus mediantibus materiae uniatur: item, pendere a materia in fieri, ita ut extra eam non fiat: in esse, ut extra eam esse non possit; in operari, ut absq; concursu ejus operari nequeat: Quid obstabit tandem, quò minus forma, cui omnes haec conditiones competunt, a DEO creetur, hoc est, ex nihilo producat, ita ut quo momento in materia est creata, eodem per dispositiones materiales materiae uniatur, & sic ab ea pendeat in fieri, in esse, in operari?

CXIV.

Aut certè monstrent nobis non posse a DEO creari formam cui conditiones haec competant. Contrarium ex ipsorummet assertionibus evincere nobis difficile non est. *Conimbricenses* concedunt in primâ rerum molitione caelestium corporum & elementorum formas unâ cum materia a DEO esse procreatas. *Suarez* ait, *unicam esse actionem quâ caelum secundum se totum produci- tur, quae sit perfecta creatio totius, & concreatio materiae & formae.* At inficiari iidem nequeunt, in corporum horum materia fuisse dispositiones materiales concreatas, cum diversae formae diversas requirant materiae dispositiones: inficiari nequeunt, tam caelestium corporum quàm elementorum formas in materia esse creatas, & ab ea pendere in esse & operari. Quid ergo obstat, quò minus formae haec dici possint eductae e potentia materiae, & a DEO simul creatae?

C

*Suarez*



## CXV.

Suarez quidem 1. Metaphys. disp. 15. sect. 2. num. 9. *Creationem formarum hoc urget incommodo, alias, inquit, (concessâ nimirum creatione) omnes formæ substantiales essent subsistentes, & independentes à materiâ in fieri, & consequenter etiam in esse; quod est absurdissimum: alias omnes animæ brutorum essent immortales. Sequela, inquit, patet, quia creatio est rerum subsistentium, & non pendet à materiali causâ. Sed ratio hæc minimè nos urget, ut pote quæ in consequens planè est, & principium petit, ut ex his, quæ dicta sunt, palam est: Imò ipsemet Suarez inconsequentiam aperte monstrat, dum asserit, corporum cælestium formas esse creatas, & tamen absurda hæc non admittit.*

## CXVI.

Si per *generationem* contendunt formam esse: subjctam materiam nobis nominent. Quicquid enim generatur ex aliquo tanquam principio materiali generatur: cum ex nihilo aliquid producere sit solius DEI.

## CXVII.

Sunt qui materiæ potentiam heic nominent, ex hac enim educi dicitur forma. Sed interroganti non satisfaciunt. *Phrasis enim è materiæ potentiâ educi non indicat materiale principium formæ, ut è superiori explicatione patet, sed condiciones potius formæ hujus & alias concurrentes causas notat. Et quid quæso potentia materiæ aliud, nisi aptitudo ad formam recipiendam? quam nemo principium materiale formæ dixerit.*

## CXVIII.

Suarez formas substantiales materiales ait non fieri ex nihilo, sed ex materia, quæ in suo genere per se concurrat, & influit ad esse & fieri talium formarum. Sed nec hic principium materiale formarum nominat: cum ex materia fieri aliud hoc loco ipsi nihil sit, quàm sustentari à materiâ in esse, & fieri non posse nisi effectio & generatio ejus quod fit in materia sustentetur: Sic enim explicat se n. 13. quod de eo quoq; quod creatur, citra absurditatem affirmari potest, si de actione DEI ordinaria, & ex arbitrii libertate cum causis naturalibus conjuncta loquamur.

Quod



CXIX.

Quod si verò ex materiâ corporis naturalis tanquam principio materiali formam propriè fieri dicas, receptam hætenus de formarum naturâ doctrinam penitus evertas necesse est.

CXX.

Doctissimus Suarez ne cogatur concedere, formam *ex nihilo fieri*, ait, *fieri ex nihilo non tantum negare habitudinem materialis causæ intrinsecè componentis id quod fit, sed etiam habitudinem causæ materialis, per se causantis & sustentantis formam, quæ fit, seu confit.* Posterius requisitum cum desit formæ materiali, non posse dici eam *ex nihilo fieri*.

CXXI.

Sed excogitata hæc esse ad nodum non dissolvendum sed dissecandum, quis non animadvertit? Negamus igitur habitudinem causæ materialis per se causantis & sustentantis formam, quæ fit, obstare quo minus *ex nihilo* producat<sup>ur</sup> forma: modò causatio materiæ in productione formæ non intelligatur materialis, ea nimirum, quæ est concursus materiæ præexistentis ad constitutionem materiati per modum principii intrinsecè componentis, quam nec ipse Suarez agnoscit.

CXXII.

*Causationem autem materiæ* aliam hæc nullam admittimus, nisi formæ in materiâ productæ sustentationem; &, si forte causationem nominare libeat, *concursum subjectivum in productione formæ*, unde in fieri à materiâ pendere dicitur, quia produci nequit nisi in materiâ tanquam subjecto recipiente & sustentante.

CXXIII.

Hæc verò causatio, cum olim quoq; cum cælestium & Elementalium formarum creatione concurrerit, cur aliarum formarum productionem *ex nihilo* impediat?

CXXIV.

*Concludimus ergo usitatam responsionem de ortu formarum non satisfacere curioso indagatori.*



CXXV.

Nos verò etsi in tanta rei obscuritate *ἐπιπέσειν* possemus, & veritatem in profundo latentem perspicacioribus oculis eruendam relinquere: ne tamen ad hanc principiorum contemplationem a symboli videamur accessisse, sententiam nostram unica saltem & alterà assertionem nudè proponemus: illud tamen præmonentes: *Cum magna sit formarum differentia, & originis ratione discrepantia, de Formæ ortu in genere non esse temerè pronuntiandum.*

CXXVI.

Distinguiamus igitur corpora naturalia in *animata, & inanimata*: Illorum forma anima in specie dicitur, de cuius ortu, ne multa nimis coacerventur, impræsentiarum nihil pronunciamus.

CXXVII.

*Inanimata sunt simplicia vel mista. Simplicia sunt corpora caelestia vel elementa*: de quorum formis in universum hoc pronunciamus: *Formas corporum simplicium debere originem suam creationi*. Ratio è præcedentibus haud obscura est. Uberiorem sententiæ hujus explicationem conflictui disputationis reservamus.

CXXVIII.

De mistorum formis hoc pronunciamus. *Mistorum formas originem suam debere generationi*. Ut enim è diversorum elementorum materiâ unum fit corpus quoad materiam mistum, sic & è formis eorundem una misti forma.

CXXIX.

Si erramus, cum subtilitatum Magistro *Julio Scaligero* erramus, qui, post ancipitem rationum conflictum, ita tandem concludit. *Si cogar, inquit, effari, quod in hac humanâ caligine sese offert mihi: fateor me vinci à sententiâ posteriore: sunt enim formæ hæ (miscibilium) actus materiæ quisq; suæ. Quæ materia quia sunt à Naturâ ad operosiorum compositionem institutæ, factum ab eadem esto, ut, quemadmodum ipsæ, sic & earum formæ commisceri queant.* Exerc. 101. sect. 2.

CXXX.

*Haftenus de ortu formæ: ratio ejus triplex est, vel enim ad materiam refertur, vel ad compositum, vel ad effectus.*

CXXXI.

Formæ



Forma ad materiam relata. I. Est *nobilior materia*: Rationes sunt. 1. Quia finis est materiae propter quem est, & ad quem ordinatur materia, unde tanquam bonum quiddam & divinum à materia dicitur expeti. 1. Phys. text. 81.

CXXXII.

2. Quia perficit materiam perfectibilem, tanquam actus potentiam.

CXXXIII.

3. Quia perfectiones compositi à formâ proficiscuntur.

CXXXIV.

4. Quia res per formam similitudinem quandam *DEI* consequitur.

CXXXV.

II. Est *naturâ posterior materia*, quæ subjectum formæ est. At subjectum prius est iis quæ sunt in subjecto. 1. Phys. t. 52.

CXXXVI.

III. Est *divisibilis & extensa*; quod de formâ merè naturali intellectum volumus: quæ tamen & ipsa per se indivisibilis est. Assertionis rationem hanc reddit Pererius. lib. 6. cap. 3. *Quicquid recipitur in subjecto quanto ex illius potentia eductum, in illo divisibiliter productum & ab eo penitus dependens, necesse est id esse extensum & divisibile: alioquin vel nulla forma sive accidentalis sive substantialis esset divisibilis, vel certe nulla possit reddi ratio, propter quam forma materialis esset divisibilis.*

CXXXVII.

IV. *Una numero non potest esse simul in diversis numero materiis seu subjectis*: Esset enim una & non una. Una propter suppositionem: non una propter multitudinem materiarum & compositorum, quæ formas multiplicat.

CXXXVIII.

Præterea si corpus unum in diversis locis simul esse nequit, multo minus una numero forma in diversis materiis: magis enim pender unitas & distinctio formæ à materia, quam locati à loco.

CXXXIX.

Deniq; existens simul in multis materiis, quarum una non penderet ab altera, posset simul esse & non esse, admota uni ma-

C 3

teriae



seriæ non alteri alteratione corruptivâ.

CXL.

V. *Non unitur materia nisi præeuntibus formis accidentalibus.* Primum enim ad minimum requiritur quantitas, cujus beneficio extenditur.

CXLI.

Deinde omnem generationem naturalem, quâ forma in materiam inducitur, præcedit alteratio, cujus terminus ad quem est qualitas.

CLXII.

Deniq; destrui formas naturales videmus per alterationes corruptivas.

CXLIII.

Forma ad compositum relata est. I. *Naturâ prior composito,* ut causa suo effecto.

CXLIV.

II. *Ignobilior composito.* I. Est enim pars compositi tanquam totius: At pars imperfectior est toto.

CXLV.

2. Forma est substantia in completa, compositum completa.

CXLVI.

3. Esse compositi præstantius est, quàm esse partis: ut patet ex animæ rationalis desiderio, quo ad corporis conjugium fertur.

CXLVII.

III. *Non est tota compositi essentia seu quidditas, sed pars duntaxat:* Quæ Thomæ & Scoti sententia est: Rationes sunt. I. Si materia non esset de essentia cõpositi, inter essentiam substantiæ corporeæ & incorporeæ nihil esset discriminis. At hoc absurdum.

CXLVIII.

2. Si forma esset tota quidditas compositi, utiq; substantia completa esset. At hoc falsum.

CXLIX.

3. Si forma esset tota quidditas compositi, compositum non esset compositum, sed simplex quiddam.

Contra.



## CL.

Contrarium senserunt veteres Peripatetici: quos conciliare Thomæ & Scoto nititur Pererius. lib. 6. cap. 8. ambiguitate, quæ in voce *quiditas* est, evolutâ. *Aut enim*, inquit, *quiditas significet totum id quod pertinet ad integritatem substantiæ & naturæ ipsius compositi, solum excludendo accidentia: & sic dubium non est, quin pars sit quiditatis: aut id tantum significat in quolibet composito naturali quod est ejus actuativum, distinctivum, denominativum, definitivum, intelligibile, determinativum: sic tota quiditas est, cum omnia hæc à forma proficiantur.*

## CLI.

Et si verò primariò hæc à formâ pendere non inficiamur; materiam tamen omnibus hæc axiomatibus penitus privandam, & sic à quiditate excludendam non existimamus.

## CLII.

IV. *Principale individuationis principium est: Cum enim esse corporis naturalis à formâ principaliter sit, unitas quoq; & distinctio ab eadem principaliter erit.*

## CLIII.

*Principale verò individuationis principium formam appellamus, quia materiam quoq; individuationis principium statuimus, sed minus principale: cum unitas & distinctio minus principaliter ab ea pendeat.*

## CLIV.

Utrumq; verò corporis naturalis principium individuationis completum esse principium patet: Individuum enim substantiæ materialis è materiâ & formâ compositum est, habetq; esse completum à materiâ & formâ. At quæ individua sunt principia essentialia, eadem & individuationis principia sint oportet.

## CLV.

Ita de principio individuationis *ex naturâ rei* judicandum: quoad nos verò individuorum distinctio plerunq; ex accidentibus substantiæ materialis peti solet: unde in individuorum descriptionibus differentiæ loco varia coacervantur accidentia.

For-



CLVI.

Forma deniq; ad effectum suum refertur, qui duplex est, unus ut forma est: alter ut principium efficiens est.

CLVII.

Formæ, quæ forma, effectus est *existentia formalis*, hoc est, perfecta & determinata ad certum gradum seu speciem Entis.

CLVIII.

Existencia hæc nec substantia nec accidens est, sed modus substantiæ materialis.

CLIX.

Formæ, quæ principium efficiens est, effectus sunt operationes naturales; per formam enim activum est corpus naturale.

CLX.

Ab una formâ variæ proficiscuntur actiones, quinque; potissimum ob causas. I. Vel enim una per se provenit à formâ, altera per accidens. II. Vel una ab eâ est, ut ab agente principali, altera ut ab agente instrumentali. III. Vel quia forma cum multis accidentibus est consociata. IV. Vel quia causa est universalis, quæ per agentia particularia determinatur. V. Vel deniq; ob diversam materiæ dispositionem. Videatur Pererius. lib. 6. cap. 17.

Haftenus de Materiâ & Formâ,

*Coronidis vice.*

*Queritur.* I. Sintne Physica Monstra perniciosiora an Ethica? Respondet Strophimus Græcus quidam; Ethica.

*Queritur.* II. Quodnam omnium Ethicorum Monstrorum sit perniciosissimum? Respondet Strophimus; conflatum ex Superbiâ, Invidiâ, Calumniâ: Cujus sobolem adeo numerosam esse ait, ut in singulis ferè populosioribus urbibus reperiatur.

*Thesin quadragesimam tertiam supra omissam hîc habes.*

XLIII.

*Corpus naturale est substantia Materiâ & Formâ tanquam principiis essentialibus constans.*

F I N I S.



V017

ULB Halle  
003 252 043

3




Sb.












B.I.G.

Farbkarte #13



16754  
19

VII

AS  
MATVM  
ORUM

CTO

CTO  
subjecta in Ser-  
mnasio.

xbris.

IDE  
RIDERICO  
o, Gymnasii  
rc.

DENTE  
MVNSTERO  
nalo.

STÆ  
iæ Dörfferi,  
DC. XV.

